



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica

Huet, Pierre Daniel

Parisiis, 1679

I. Iterum Jesu addicitur Zach. 9. 11.

urn:nbn:de:hbz:466:1-16260

perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, non hujus creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem, introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa..... Et ideo Novi Testamenti mediator est, ut morte intercedente, in redemptionem eorum provaricationum, quae erant sub priori Testamento, remissionem accipiant qui vocati sunt aeterna hereditatis.

1. Petr. 1. 18, 19. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vana vestra conversatione paterna traditionis, sed pretioso sanguine quasi Agni immaculati Christi.*

Apoc. 5. 9. *Et cantabant canticum novum dicentes, Dignus es, Domine, accipere Librum, & aperire signacula ejus, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo, ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione.*

Apoc. 7. 14. *Hi sunt, qui venerunt de tribulatione magna, & laeserunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni.*

Apoc. 22. 14. *Beati qui laவர் stolas suas in sanguine Agni, ut sit potestas eorum in ligno vitae, & per portas intrent in civitatem.*

I. **E**VICIMUS supra signatum esse Christum ea praedictione Zachariae, quae iterum Jesu ^{additur} habetur noni capitis commate undecimo. Alloquitur Deus filiam Sion, ^{Zach. 9. 11.} quae typus est Ecclesiae Christi. Foedus autem icit Ecclesia cum Deo per sanguinem Christi, cujus beneficio libertatem sunt adepti, qui Diaboli, Inferorum, ac peccati vinculis obstricti tenebantur. Porro pro eo quod habet Vulgatus Interpres, *Emisisti*; Septuaginta, *Ἐξάρτισσας*, in Ebraico exemplari legitur, *שילתי*, *emisi*; apud Jonathanem, *פרקתי*, *redemi*, quod pro futuro sumendum est, *emitam, redimam*. Ita ut totius pericopes is sit intellectus: Ad te vero quod pertinet, o Ecclesia, propter foedus quod tecum per Filii mei sanguinem contraham, gnatos tuos Inferorum, Daemonum, ac peccatorum vinculis oppressos captivitate eximam. Messiam hic notari sciunt Thalmudistae, & R. Selomoh Jarchi. Hunc autem laboribus, poenisque attritum, nobis felicitatem promeriturum traditur in Siphre. Sciscunt praeterea Thalmudistae in libro Joma nonnisi effuso sanguine peccata iri condonatum: atqui proxime probatum est per Christum nos solum iri peccatis: unde sequitur per Christi sanguinem homines veniam peccatorum esse adepturos. Atqui nota quoque haec in Jesum pulcre convenit, qui & morti proximus sanguinem suum dixit ^{Matth. 26. 28.} *Pro multis effusum iri in remissionem peccatorum*, & idem jam Discipulos suos futurum praemonuerat. Quae cum ita sint, patet nihil hic videre eos qui aliorum praedictionem Zachariae convertunt; puta Jonathanem, ejusque sequacem Grotium, qui Agnum Paschalem, & Aegyptiacam servitatem, & aridos Arabiae campos; aut Auctorem Prologi Echa Rabbathi, qui circumcisionem; aut eos denique qui captivitatem Babylonicam testimonio hoc notari putant.

CAPUT CXLVI.

Baptismum Jesus instituit.

PSALM. 50. 9. *Lavabis me, & super nivem dealbabor.*

Isa. 1. 16. *Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.*

MATTH. 3. 11. *Ego quidem baptizo vos in aqua in poenitentiam; qui autem post me venturus est, fortior me est, cujus non sum dignus calcamenta portare: ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igni. Et Marc.*

Bb bb